



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 3. A consanguineis deserti, à Deo non deserentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Quod qui credit, vndique linguis appetitus ;
libenter ad illum recurrens dicit : *Redime me*
Pfal. 118. *à calumnijs hominum.*

§. III.

A consanguineis deserti, à Deo non dese-
runtur :

Quid, quòd ab ipsis etiam amicis, cogna-
tis, fratribus ac parentibus deserti, à Deo nò
deseruntur? Neque enim vana est laus illa :
Pater meus, & mater mea dereliquerunt
Pfal. 26. *me, Dominus autem assumpsit me.* Nonne a-
10. *mici Iob tales erant, vt eis meritò diceret :*
Iob. 16.2. *consolutores onerosi omnes vos estis? Ipsa eius*
vxor, tanquam Lycisca, ante eum stabat, &
latrabat: ipsi filij & filiae mœrore ingenti eum
affecerunt: deseruerunt eum opes; deserue-
runt vires; deniq; , velut catharma, in ster-
quilinio iacebat, Dominus autem assumpsit
Iob. 42. *eum: Et addidit omnia, quæcunq; fuerant Iob,*
10. *duplicia, & benedixit nouissimis Iob, magis;*
quàm principio eius. A fratribus desertus erat
Ioseph, sed Dominus assumpsit eum. A patre
Luc. 9.59. *desertus erat, qui dixerat: Domine permitte*
mihî primùm ire, & sepelire patrem meum. Sed
Dominus assumpsit eum inquit: Sine, vt mor-
tui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, &
annuncia regnum Dei. Neque mater potuit
fili-

alium iuare, quem, ante portas vrbis Na-
im, loculi tactu surgere iussit Christus; po-
tuit ergo iuare Christus; & potuit dicere
adolescens: *mater mea dereliquit me, Domi-
nus autem assumpsit me.*

Luc. 7.

13.

§. IV.

Opificum instructio, ut ditescant.

Pastos esse ab eodem Seruatore, qui,
quod manducarent, non habuere, supra
meminimus. Sed & opifices necquidquam
sudantes, si ei necessitatem suam aperiunt,
nequaquam deseruntur. *Præceptor, tota no-*
cte, laborantes nihil cepimus, ait bonus alio-
qui *cymba liniq; magister.* Qua arte aliquid
capere potuit? *In verbo autem tuo laxabo re-*
te, ait. *Et, cum hoc fecissent, concluderunt pi-*
scium multitudinem copiosam. O opifices,
quibus nihil ex voto succedit, quid totos
dies, totasq; noctes frustra fatigamini? quid
oleum & operam perditis? verum est, suda-
tis: verum est, vigilatis: verum est, suendo
secando, fabricando, piscando vos rumpi-
tis: verum est, pretium duplum laboris exi-
gitis, & captatis: & nihil hæc omnia pro-
ficiunt: figuli opes colligitis: semper ege-
tis, semper idem inopiæ saxū voluitis; om-
nia lucra in sacculum pertusum mititis:
G quid-

Luc. 5. 5.